UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim Primarij Theologiæ Professoris emeriti, Opvs De Triplici Virtvte Theologica, Fide, Spe, Et ...

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1622

Sect. 2. An in Ecclesia requiratur aliqua infallibilis regula fidei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-93448

Visual Library

de posteriori propositione

hens sufficienter facit credibilem veritatem propositam, ita vt inde oriatur obligatio illam credendi, tanquam dictam à Deo, necessarium esse, vt proponens credatur esse infallibilis authoritatis, seu veritatis actualis, in eo, quod dicit. Hanc assertionem probant rationes factæ secundo loco, quarum summa est, dictum, & dicentem esse inter se necessario connexa, ita vt non possit res dicta existimari infallibiliter vera, quin etiam ipse dicens credatur non posse fallere, in eo, quod sic dicit: sed quoties veritas fidei sufficiēter proponitur, obligatur homo ad credendum rem dictam tanquam infallibilem: ergo consequenter debet necessariò credere, sic loquentē non fallere: & hoc est credere illum in tali actu habere infallibilem authoritatem. Neq; contra hoc vrgent priora argumenta, nam solum probant, talem personam ex se non habere huiusmodi authoritatē, nec etiam ex infallibili assistentia Dei illi promissa, sed habere illam ex omnibus requisitis ad sufficientem propositionem fidei, cum qua credimus esse cōiunctam talem Dei prouidentiam, vt non permittat sub eius authoritate ita proponi, quod reuera ab ipso reuelatum non est: nam hæc prouidentia necessaria est, vt homines possint certo credere Deo sic loquenti.

Quo pacto probetur.

Quid valeant argumenta posita nu 1.

Amplior explicatio pro iisdem argumentis.

5. Et explicari amplius potest: nam duobus modis valet quis proponere rem credendam. Primo tanquam sibi immediate reuelatam: & tunc necesse est, vt aliquo miraculo, vel signo diuino suam reuelationem confirmet, vt dicitur in Cap. *cum ex iniuncto* de Hæret. & sic cum Deus confirmet specialiter talem sermonem, inde habebit infallibilem veritatē: quia, vt diximus, nō potest Deus facere miraculum, in confirmationem falsitatis. Alio modo proponit aliquis fidem, tanquam alijs reuelatam: & tunc necesse est, vt illam confirmet aliqua infallibili regula fidei: quia non potest alter obligare ad credendā illam veritatem, vt infallibilem; imo necesse est, vt illam infallibilem regulam applicet cum morali euidentia, ac certitudine, ita vt de illa non possit rationabiliter dubitari: & ita in primis necesse est, vt quod proponitur non sit contrarium antiquæ fidei: deinde vt publice, & in conspectu Ecclesiæ proponatur sine vlla contradictione ex parte Ecclesiæ, & cum sufficiente attestatione pastorum eius: si autē hæc concurrant, non poterit esse falsum id, quod proponitur. Quod si aliquando videtur ita proponi, quod falsum est, solùm est ex ignorantia, & inaduertentia audientium; in re tamen ipsa, nunquam erit sufficiens propositio, vt supra etiam dixi. Vnde tandem considerari potest differentia inter duos prædictos modos locutionis infallibilis: quando enim authoritas infallibilis quasi permanenter cōuenit ipsi loquenti, talis eius authoritas dat infallibilitatem, & conciliat authoritatem rei dictæ saltē quoad nos; quia eo ipso, quòd res aliqua traditur ab habente huiusmodi authoritatem, fit infallibile quod dicitur. At verò è contrário in alio modo, potius ipse proponens authoritatem accipit infallibilem, vt sic dicam, à doctrina, quam tradit, & à signis, vel regulis, quibus illam confirmat, vt satis explicatum est.

SECTIO II.

Vtrum sit necessaria in Ecclesia aliqua infallibilis regula fidei?

Ad regulam fidei requisita quatuor.

1.

2.

EX dictis sectione præcedente satis constare potest, quid per regulam fidei infallibilem intelligamus, requiritur enim inprimis vt sit aliquid distinctū ab authoritate diuina, quia non se habet, vt prima ratio credendi, sed vt applicans illam. Deinde oportet vt infallibiliter applicet, ita vt non possit subesse falsum dicto eius, quia aliàs non erit regula infallibilis. Vnde vlterius necessarium est, vt hanc authoritatem habeat permanentem, & ex aliqua certa promissione diuina, quia aliàs neque esse poterit, neque habere authoritatem. Tandem debet esse generalis regula omnibus communis, quia in hoc differt à proximo proponente, & est quasi intrinsecum, & de ratione regulæ. Videtur ergo non esse necessaria talis regula. Primò quia sufficit ad fidem reuelatio Dei, & sufficiens propositio, iuxta superius dicta; sed illa duo possunt concurrere sine tali regula, ergo non est necessaria. Secundo videtur impossibilis, vel inutilis, quia illa regula, cū sit quid creatum, non habet ex se talem authoritatem infallibilem; ergo oportet vt aliunde illam habeat; ergo necessarium est, vt hoc ipsum de fide sit certum: ergo necessaria erit regula, per quam id constet: quæ igitur erit talis regula? non enim sufficiet ipsamet, quia nemo potest de se testimonium perhibere, nec potest esse alia, quia eadem difficultas, vel interrogatio de illa fiet, & sic in infinitum procederetur, vel inter ipsas regulas cōmittetur vitiosus circulus, si sibi mutuo testimonium præbeant: ergo nullo modo potest intelligi vtilitas talis regulæ. Tertio, ante Ecclesiam Christi iam incarnati, fuit vera fides in mūdo, imo etiam ante Moysem, & tamen tunc non erat aliqua sensibilis, seu creata regula fidei: ergo non est necessaria ad credendum.

Pro parte negatiua Ratio prima.

Secunda.

Tertia.

2. Nihilominus dicendum est, necessariam esse in Ecclesia regulam aliquam infallibilem fidei, cui omnes summa certitudine credere teneantur, & qua vti possint prædicatores fidei, & doctores Ecclesiæ ad discernendā catholicam doctrinam à falsa, & ad fidem ipsam sufficienter proponendam. Assertio est de fide, specialiter tradita à Concil. Trid. sess. 4. neque oportet nunc alijs testimonijs illam probare, tum quia in particulari id commodiùs fiet circa singulas regulas. Tum etiam, quia nullus fere est hæreticorum, qui aliquam regulam fidei infallibilem nō admittat, saltem diuinam scripturā, quod si aliqui fuerint, qui nullam recipiant, parum contra illos authoritas valebit; sed agendum contra illos erit, sicut contra paganos, ex signis credibilitatis fidei nostræ, & ex ratione. Duplex ergo ratio præcipua occurrit ad confirmandam assertionem positam. Prima sumitur ex dictis in sect. præced. & ex inordinaria lege, & modo, quo fides propagatur, & conseruatur in mundo, per hominum prædicationem, & doctrinam: nam in hac fidei conseruatione, & derivatione à quibusdam in alios, non fiunt illa miracula, & signa, quæ in fidei plantatione facta fuerunt; ergo vt fides nunc possit proponi sufficienter, tanquam infallibilis, & certa, necessarium est, vt detur aliqua regula infallibilis doctrinæ, vt is qui proxime fidem proponit, possit illam sufficienter confirmare, ostendendo sub tali regula esse contentam: aliàs nullus superesset modus proponendi hanc doctrinam, vt infallibilem.

Assertio affirmatiua de fide.

Trid authoritate probatur.

Ratio primà pro eadem.

3. Secunda & potissima ratio, & quæ præcedentem magis declarat, est, quia Ecclesia Christi, vna est, & perpetuitatem habet, iuxta verbum Christi, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non preualebunt aduersus eam*, Matth. 16. hæc autem Ecclesia non potest in suo esse, & in sua puritate conseruari, nisi vna, & eadem fides in ea semper duret: tum quia sicut est vna Ecclesia, & vnus Deus, ita est *vnum baptisma, & vna fides*, teste Paulo ad Ephes. quarto. Tum etiam quia fides est quasi vinculum huius Ecclesiæ, & quasi forma per quam constituuntur mēbra eius. Impossibile autem est vnitatem fidei conseruari in hac Ecclesia, nisi sit in ea aliqua infallibilis regula, quam omnia huius Ecclesiæ membra in credendo sequi teneantur: ergo talis regula necessaria est, & ideo in Ecclesia deesse non potest: nam prudentissime, & sufficientissime instituta est, neq; CHRISTVS illi defuit in necessarijs. Tantum superest

Ratio altera declarans præcedentē.

pereſt probanda minor, cætera enim omnia oſtenſa ſunt, & per ſe ſunt clara. Quod ergo impoſsibile ſit, vnitatem fidei conſeruari ſine regula probatur: quia deficiente regula, neceſſarium eſſet, vt vnuſquiſque iudicium ſuum, & opinionem pro regula ſumeret in diſcernenda vera fide à falſa: vel certe quoniam vulgaris populus, & fideles indocti non poſſunt ſuo iudicio hoc diſcernere, neceſſarium eſſet, vt vnuſquiſque populus doctorem aliquem pro regula ſibi proponeret, tunc autem, & incertiſsima eſſet talis regula, & tot eſſent regulæ quot iudicia Doctorum, vnde neceſſario fieret, tot eſſe fides, quot capita Doctorum, quia hæc eſt naturalis conditio hominum, vt inter ſe vix conueniant in iudicijs, & opinionibus, maxime in rebus quæ euidenter non cognoſcuntur. Et hoc euidenter confirmat experientia ſupra notata, de hæreticis diſcedentibus à regulis fidei: nam eo ipſo in ſectas pene infinitas inter ſe diuiduntur, & nunquam in eodem ſtatu permanent. Confirmatur etiã quia quotidie oriuntur in Eccleſia dubia, & controuerſiæ circa res fidei: ergo niſi ſit aliqua regula infallibilis, ad definiendas illas, omnia tãdem ad humanam opinionem reuocabuntur, V. g. de veritate Trinitatis fuit magna olim controuerſia in Eccleſia, quæ niſi per regulam infallibilem definita eſſet, non poſſet nunc eſſe certa de fide, quia poſt illam controuerſiam non eſt facta noua reuelatio illius myſterij: ergo non potuiſſet certo definiri ſine regula infallibili, & idem eſt de incarnationis myſterio, de Euchariſtia, & alijs; quia nullum eſt, quod hæretici in dubium non reuocauerint, vel negauerint. Ergo vt fides Apoſtolica ſine nouis reuelationibus, & miraculis, quibus illa confirmentur, poſsit pura, & certa conſeruari, neceſſaria eſt aliqua infallibilis regula, quam in illa retinẽda, & ſequenda, amplectamur.

Diſp. 4. Sect. 4. num. 12.

Concluditur aſſertio.

Ad rationẽ in num. 1.

4. Rationes autem in contrarium, non multum vrgent, & ſecunda, quæ aliquam difficultatem habet, pendet ex dicendis. Ad primam ergo reſpondeo reuelationem, & proximam propoſitionem fidei ſufficere quidem in primis credentibus, qui à Deo immediate fidem receperunt. Item poſſet ſufficere in quolibet particulari credente, ſi per noua miracula, vel ſigna vnicuique applicaretur fides, hoc tamen extraordinarium eſt, & extra legem, & ideó ad ordinarium modum propagandi fidem, vel conſeruandi illam per continuam ſucceſsionem, & diſcernendi illam cum certitudine à falſis doctrinis, neceſſaria eſt aliqua regula infallibilis, vt explicatum eſt. *Ad ſecundã* Ad ſecundam, pro nunc dicimus, regulas fidei ſeſe mutuo iuuare, & vnam alteri authoritatem conciliare, & hoc ſine defectu certitudinis, quia ſunt diuerſarum rationum, & ſingulæ ſunt ſufficiẽter propoſitæ, & omnes ſimul inter ſe collatæ faciunt quãdam euidentiam credibilitatis, quod omnino ſufficiant in ſuo genere ad confirmandam fidem, vt ex ſequentibus patebit. Addi etiam poteſt, quod licet homo non poſsit de ſe ipſo teſtimonium ferre, Deus tamen poteſt, propter ſuam infinitam authoritatẽ, & ita etiam regula fidei quatenus eſt ſpeciale organum, per quod Deus loquitur, interdum poteſt teſtimonium præbere, & in ſe habet aliquid peculiare ex diuina prouidentia, & ordinatione, vnde fiat euidenter credibile, talem eſſe regulam fidei, & diuinã aſsiſtentiam habere, vt eſt in Scriptura. V. g. concordia Prophetarum, cum euentibus, & ſic de alijs, quæ poſtea explicabimus. *Ad tertiam.* Ad tertiam negatur aſsumptum: ſemper enim fuit in mundo aliqua certa regula fidei, vt in ſectione 4. ſpecialiter dicam.

5. Supererat vero hoc loco quærendum quot ſint hæ regulæ fidei, ſed hoc conſtabit melius ex tractatione ſingularum. Nunc ſolum aduerto, non eſſe cõfundendas has regulas cum locis Theologicis, id eſt, ex quibus Theologia ſolet ſuas aſſertiones confirmare, nam hi loci decem numerari ſolent, quinque tamen illorum ad regulas fidei non pertinent, qui ſunt: *ratio humana: authoritas Philoſophorum: Hiſtoria humana, etiam Eccleſiaſtica: ſententia ſcholaſticorum Theologorum: & ſententiæ Patrum.* Nam hæc quinque vtilia quidem ſunt ad ſuadendas veritates Theologicas, & afferri poſſunt, non ſolum ad principia Theologiæ, ſed etiam immediate ad concluſiones comprobandas. Non tamen habent infallibilem authoritatem, neque pluſquam humanam, & ideo ad regulas fidei non pertinent: nam regula fidei, infallibilis eſſe debet. Aliqui vero *conſenſum Sanctorum Patrum*, vel etiam *ſcholaſticorum omnium* excipiunt, ſed non eſt neceſſarium, vt ex dicendis cõſtabit: quia licet Patres, vel Scholaſtici in aliqua ſententia conueniant, non aſſerendo illam eſſe de fide, ſed iudicium ſuum in ea proferendo, non facient rem de fide: quia ſemper manent intra menſurã authoritatis humanæ, licet magna ſit temeritas ab eis diſſentire. Si autem conueniunt aſſerendo rem eſſe de fide, ſemper applicabunt aliquam regulam fidei, cuius ipſi ſunt quaſi teſtes, & ratione illius, faciunt certam fidem. Igitur quinque alia ſolent à Catholicis inter regulas fidei numerari, quæ ſic colligere poſſumus. Regula enim fidei eſſe poteſt, vel inanimis, quæ ſenſum explicare non poteſt; vel viua, & animata, quæ loqui poteſt. Prior duplex eſt, ſcilicet ſcripta, vel nõ ſcripta. Nam Scriptura, quæ eſt prima regula, non loquitur, nec poteſt interpretari ſe ipſam: regula autem nõ ſcripta vocatur traditio, quæ ſemper fundata in antiqua conſuetudine eorum, qui nos præceſſerunt: & ideo inter mortuas regulas computatur. Viua autem regula dicitur perſona quæ viuat, & loqui poſsit, quæ duplex diſtingui poteſt, ſcilicet ficta, ſeu myſtica, aut vera: prior eſt Eccleſia, quæ eſt corpus myſticum Chriſti: quæ dupliciter poteſt etiam conſiderari: ſcilicet, vel in ſe, & formaliter, quatenus eſt congregatio omnium fidelium ſub vno capite Vicario Chriſti, & ſic proprie vocatur Eccleſia: vel poteſt conſiderari, quatenus eſt in principibus eius congregatis in vnum, quæ Congregatio concilium appellatur. Quod ſi generale ſit & legitimum, vniuerſalem Eccleſiam repræſentat. Perſona autem vera, quæ ſit regula fidei, ſolum eſſe poteſt Pontifex Summus, & Chriſti Vicarius, ſeu Epiſcopus Romanus, & ita reſultant quinque regulæ, quæ ad tres reduci poſſunt ſcilicet. *Scriptura, Traditio, & Eccleſia*, vel ſecundum ſe ſumpta, vel vt loquens per Concilium, vel per ſuum caput, de quibus breuiter dicendum eſt.

Quot ſint loci Theologici, & quo pacto à fidei regulis, diſtinguantur.

Conſenſus patrum, & Doctorum per ſe, non eſt regula fidei.

Collectio Regularum fidei.

SECTIO III.

Vtrum Scriptura Sacra ſit regula fidei.

Supponitur dari aliquam Scripturam Sacram.

SVpponimus dari in Eccleſia quoſdam libros, quos canonicos vocamus, in quibus verbum Dei ſcriptum contineri credimus: quæ ſuppoſitio tanquam dignitas, ſeu primum principium accipitur ab omnibus, qui Chriſtianorum nomen profitentur: & ideo inter eos probandum non eſt, vt recte Caſtro lib. 1. cont. Hæreſ. cap. 2. notauit, quia nulla doctrina iuxta Philoſophum probat ſua prima principia: & ita hoc fundamentum admittunt omnes, qui confitentur Chriſtum etiamſi alias hæretici ſint: qui autem Scripturas negant, præſertim Noui teſtamenti, ſolum ſunt pagani, aut Iudæi, contra quos ex alijs principijs agendum eſt. Hoc ergo poſito, inquirimus an Scriptura hæc ſit regula fidei; quæ quæſtio duos poteſt habere ſenſus, vnus eſt an hæc Scriptura ſit talis regula fidei, vt nihil ſit credendum, niſi quod in ea continetur. Et nunc non proponitur in hoc ſenſu, ſed tractabitur ſectione ſequente. Alter ſenſus eſt, an hæc Scriptura ſit talis regula, vt quidquid in ea continetur, tanquam de fide diuina certum recipiendum ſit: & hoc eſt, quod nunc agimus.

Quæritur vero an quæ continet ſint omnia de fide.

Ra-